ANNO REPARATÆ SALUTIS
MDCCIV MENSIS NOVEMBRIS
DIE XXX QUÆ ERAT DOMINICA PRIMA ADVENTUS
coincidens cum Feſto S. Andreæ Apoſtoli et B. ALBERTI Sac: et Exempti
Ordinis Ciſtercienſium Abbatis: Ego FRANCISCUS FERDINANDUS RUMMEL de
Phrentſch et Jſſenbach Dominus de Waldau Sac: Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius Epiſcopus
Tininienſis, Præpoſitus in Artacker, et ad S. Crucem Wratiſlaviæ Scholaſticus Glogoviæ Majoris:
Conſecravi hanc Monaſterij Waldſaſſenſis ejuſdem Sacri Ordinis Eccleſiam, antiquitus videlicet
circa annum Milleſimum centeſimum trigeſimum ſecundum, ab Electiſſimo, et Dilectiſſimo Dei
Diſcipulo et Evangeliſta Joanne in miraculoſa Viſione originaliter conſecratam: Ob bellorum autem
et hæreſum injurias a Sacro Ordine ſucceſſu temporis viduatam & iterato funditus devaſtatam, ac
denuo ad dictum Ordinem reductam, et noviter ædificatam: Et novem in Ea erecta Altaria:
Et quidem Altare Primum et Summum in Choro in Honorem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ et ejus-
dem S. Joannis cui Chriſtus in Cruce moriturus Virginem Virgini commendavit: Et in eo
incluſi Reliquias SS: Judæ Thadæi Apoſtoli Rogati, et Alberti Martyrum. Secundum in Hono-
rem ejuſdem Virginis Virginum in Cœlum Aſſumptæ cum incluſis Reliquiis Sanctorum Joannis
Chryſoſtomi Ambroſii Doctorum, et Blaſii Martyris. Tertium in Honorem melliflui Doctoris, et præ-
dicti Ordinis Patriarchæ Sancti Bernardi, cum Reliquiis Sanctorum Epiſcoporum Nicolai et Norber-
ti, ac Staniſlai Martyris. Quartum in Honorem omnium Sanctorum Apoſtolorum cum Reliquiis
Sanctorum Apoſtolorum Philippi Jacobi et Bartholomæi. Quintum in Honorem Sancti Legiſlatoris
Benedicti cum Reliquiis Sanctorum Benedicti Leonardi Abbatum Viti Martyris et Scholaſticæ
Virginis. Sextum in Honorem ſpecialem ſupra Nominati S. Joannis qui et ſpeciali amoris privilegio
cæteris altius a Domino meruit honorari cum Reliquiis Sanctorum Thomæ, et Matthiæ Apoſt: et
Lucæ Evangeliſtæ. Septimum in Honorem S. Michaëlis Archangeli cum Reliquiis SS: Martyrum
Bonifacij Stephani et Damaſi: Octavum in Honorem S. Catharinæ Virginis, et Martyris cum
Reliquiis Ejuſdem S. Catharinæ, Urſulæ, Barbaræ, et Cæciliæ: Et Nonum denique in Honorem Sanctæ
Mariæ Magdalenæ cum Reliquiis Ejuſdem, et SS: Marthæ Agathæ, et Agnetis: Sub Alberto hujus
Monaſterij ad Sac: Ordinem denuo reducti Abbate Primo: Anniverſarium autem hujus Dedica-
tionis Diem cum Octava ſingulis annis celebrandum transtuli in Dominicam tertiam Octobris:
Singulis denique Chriſti fidelibus hodie unum annum, et in prænominato Anniverſario Dedicationis
hanc Eccleſiam viſitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in Forma Eccleſiæ conſueta
conceſſi.

Franciſcus Ferdinandus Rummel
Epiſcopus Tininienſis

Loco Sigilli ablati.

Weiheinschrift der Barockkirche Waldsassen vom 30. November 1704 in der Stiftsbasilika